Quare nec abs re me facturum censeo, si, à mortuis ab inferis in hoc evocatus theatrum, non nihil de vita mea dixero. Ita autem dicam, ut, dum vitæ meæ curriculum enarrabo, audiantur Antecedentia, audiantur Concomitantia, sed & Consequentia audi[antur]

Ego C. Crispus Sallustius Amiterni sum natus, in agro Sabino, eo anno, quo florentissima illa Urbs Atheniensium à Sylla diruta est atque devastata. Natales è ve[tere] Sallustiorum familia repeto, quæ tamen in senatoriam dignitatem pervenit. Deinde Romæ honestè edu[catus] à teneris autem annis bonarumque Literarum, optimarumque quarumlibet disciplinarum amore captus, nihil jucundius, nihil præstantius, nihil utilius liberalibus & ingenuis artibus putavi, nec ullum hominem vere felicem his in terris vitam agere existimavi, nisi [qui] scientiâ benè politus esset. Unde & ipse omnes ingenii vires & corporis nervos poliendis artibus impendi, [omni]bus enitens modis, ut dulcissimos literarum fruct[us] tandem degustarem. At verò quum in ea tempor[a] incidissem, quibus corrupti civium mores variis parti[bus] & factionibus forent, neque virtuti præmia aut bonis ingeniis essent, in tam depravata Civitate ingenium me[um] sicuti quidem naturâ integrum, vitam voluptatibus fœ[dam] succubuisset, nisi contra acrius ivissem. Roma, Roma [in]scilicet animum meum inclinabat ad luxum, atque eò [tan]dem adigebat, ut paternam domum, vivente adhuc [pa]tre, turpissimâ ratione usus venalem exponerem. Roma me instigabat ad lasciviam, atque quamplurima flagitia: Unde & Romæ (fateri enim cogor) [n]olim quam hodie scriptis nobilior eram. Qua de [cau]sa quoque pessimè de me multi sentiebant ac scribebant Autores. In his Horatium pono, Lyricorum Principem. Is enim alicubi sic de me judicat: